DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RUBEOLA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RUBEOLA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

SAMUEL SMITH THOMSON,
HIBERNUS.

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HONOR.
ATQUE
PRÆSES ANNUUS.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

M DCCC.

PAGINAS HASCE,

STUDIORUM

EJUS SUB AUSPICIIS

INCEPTORUM,

PRIMITIAS,

PATRI SUO,

SACRAS VULT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RUBEOLA.

AUCTORE SAMUELI SMITH THOMSON.

RUBEOLA ſingulis plerumque annis hisce regionibus epidemicè graſſatur. Circa menſem Januarii incipiens, increſcit uſquead æquinoctium vernum, ex quo tempore morbi vires imminuuntur, et mediâ tandem æſtate ferè vel omninò deſinit. Aliquando autem in autumno epidemicè erumpere conſpicitur; et medicorum obſervationibus ſi ulla fides, ſporadicè omni anni tempeſtate, interdum obſervatur. Infantes et impuberes, quippe

 quia

quia à tenerrima ferè ætate contagio ejus obnoxios, plerumque invadit; et rarò quidem adultos aut ſenes adoritur, quamvis nullus ferè hominum morbum non ſemel perpeſſus, ab ejus aggreſſu prorſus incolumis reperitur. Haud ſecus ac variola hic morbus, ſemel tantùm in vitæ decurſu aliquem afficit; medici autem non deſunt, qui bis vel etiam pluries in eodem homine ſeſe vidiſſe teſtantur: ſed talis morbi reditus, rariſſimè certò obſervatur.

Morbus cum horrore et rigore febrili incipit, quos poſtea calor auctus ſequitur. Hæc duo ſymptomata viciſſim primum occupant diem, ſecundo autem calor adhuc magis augetur, et pulſus arteriarum crebri, validi, et duri fiunt. His poſtea accedunt, anorexia, nauſea et ſitis magna, cum lingua albida ſed humida, capitis gravitas et dolor, oculorum rubedo, luciſque intolerantia inſignis et ſomnolentia ferè continua. Æger præterea ſternutatione frequenti vexatur, et humor acris ab oculis naribuſque diſtillat; cum his gravedinis ſymptomatis, tuſſis ſicca rauca jungitur,

gitur, vox etiam rauca fit, et dyfpnoea nonnunquam adeft.

Ingravefcente febre, naufea valde augetur, et alimento quovis affumpto, vomitus fæpe citatur; fæpe etiam diarrhœa fupervenit, et materies egefta præcipuè in dentientibus, fubviridis eft. Diarrhœa fuperveniente vomitus plerumque fedatur. Sanguis aliquando e naribus fluit, et capitis et oculorum doloris levamen quoddam proinde fequitur. In feminis adultis, menorrhagia nonnunquam fupervenit. Imminente eruptione infantes interdum paroxyfmis epilepticis corripiuntur; et hos expectare admonet Rofenius, fi, cum urina parca, æger multum fudaverit.

Morbus his fymptomatis plùs minùfve ftipatus ad quartum diem progreditur; tunc autem palpebræ et tota denique facies intumefcunt, et maculæ, pulicum morfuum inftar erumpere, et ad brachia, pectus et totum corpus extendere, confpiciuntur. Papulæ in facie paulùm eminent, ut oculis et etiam tactui manifeftum eft, fed in reliquis corporis partibus, planiores et latiores funt, et cuticulæ afperitudinem quandam efficiunt. Eruptione factâ

in

in benignis morbi exemplis, fymptomata febrilia aliquantò fedantur, nunquam autem omninò cef-fant. Dum enim naufea et vomitus, calor acer et cephalalgia cedunt, tuffis, et aliquando fpirandi difficultas cum pyrexia, adhuc fuperfunt.

Ad fextum ufque diem efflorefcentia viget; tunc autem color rutilus in pallidum aut fufcum ruborem, fupra faciem primò, poftea ubique corporis mutatur. Facies detumefcit, febris magnoperè fedatur; et fymptomata catarrhalia leniri incipiunt. Proximo die febris plerumque ceffat, cuticula arefcit, et in fquamulas parvas dif-rumpitur, quæ cadentes, corpus quafi farinâ confperfum relinquunt. Hoc morbi ftadium evacuationes quædam fæpe comitantur; per urinam fcilicet, vel per fudorem, vel ut fæpius accidit per alvi fluxum. Tuffis paucis poftea diebus definit, et æger fic penitùs convalet.

Non autem omnibus eft tam profpera morbi terminatio, ut cel. Van Swieten verbis fequenti-bus optimè admonet. "Hoc peculiare habent "morbilli, quod illis evanefcentibus, debito "quamvis morbi tempore, febris increfcat, tuffis

"augeatur

"augeatur, et ſpirandi difficultas, imò et ſæpe "peripneumonia ſequatur;" et tametſi æger hunc morbum acutiorem evadat, attamen phthiſis pulmonalis fundamenta haud raró ſic conduntur, et mors lenta è medio tollit.

Sub hac forma morbus communiter apparet, et rubeolæ regularis vel benignæ nomen obtinuit; ſed non prætermittendum eſt, alium minus regularem decurſum interdum ſequi. Exempla hujusmodi bene multa, ſcriptoribus medicis tradita ſunt; è quibus pauca ſeligere ſufficiat. Talis fuit ea morbi varietas, quam anno 1674 Londini epidemicè graſſantem Sydenhamio contigit videre. Ille nos certiores facit efflorefcentiam nunc ſeriùs nunc citiùs apparuiſſe, et antè humeros et cæteras trunci partes, quam faciem occupâſſe. Nec in hac morbi ſpecie, cuticulæ deſquamatio talis, obſervata fuit, qualis ſuprà notatur; præterea efflorefcentiâ diſcedente morbus peripneumoniæ ſpeciem ſæpius præ ſe ferebat. In reliquis autem ſymptomatis ac in medendi ratione, cum rubeola regulari ſatis conveniebat. In tractatu ſuo de morbis infantum, Roſenius teſtatur, ſe unum vidiſſe

diſſe exemplum in quo rubeolæ ſymptomata cum tuſſi vehementi ad diem uſque vigeſimum primum priùs manebant, quam efflorefcentia ſeſe prodiebat; ea autem tunc temporis erumpente, æger levamen maximum expertus eſt.

Febris aliquando formam typhodem induit, pulſu parvo celeri et debili, maximâque virium proſtratione, notatam. Hujus morbi ſpeciei ut Londini ſæviebat, lucidam habemus hiſtoriam, à Doct. Watſon, in tomo quarto libri "London "Medical obſervations and Inquiries" inſcripti, traditam. Secundum ejus obſervationes, pulſus debilis parvus et frequens, anxietas et oppreſſio inſignis, lingua ſqualida, faucium rubor, et ſitis vehemens cum ophthalmia, tuſſi, et dyſpnœa morbum denotabant. Secundo die ab aggreſſu corpus efflorefcentiâ coopertum erat; quarto vel quinto, eâ diſcedente, tuſſis, anxietas, et dyſpnœa ingravescebant, et diarrhœa vel delirium ſupervenientes, mortis imminentis erant præſagia. Os, gingivæ, et malæ ulceribus malignis ſæpe exeſæ fuerunt, et cadaverum ſectio gangrænam vel ſphacelum viſcerum abdominalium, pulmonum,

um, aliarumque partium, frequentiùs detegebat. Nonnulli a morbo emerſi, debilitate ſequenti attamen perierunt, ſex etiam hebdomadis poſt ejus diſceſſum elapſis. Talia erant morbi hujus peſtiferi ſymptomata, unde rubeolæ putridæ haud ineptè nomen obtinuit.

DIAGNOSIS.

Rubeolæ ſigna pathognomonica, claro Culleno charactere ſequenti deſcripta ſunt.

"Synocha contagioſa, cum ſternutatione, "epiphora, et tuſſi ſicca, rauca.

"Quarto die, vel paulo ſeriùs, erumpunt pa-"pulæ exiguæ, confertæ, vix eminentes, et poſt "tres dies in ſquamulas furfuraceas minimas "abeuntes."

Eruptione factâ morbus ritè dignoſcatur; primo autem aggreſſu, certa diagnoſis haud ita facilè habetur; ſymptomata enim quæ rubeolam initio ſtipantur, aliis quibuſdam morbis communia ſunt. Rubeolâ autem graſſante, ſi æger contagio objectus fuiſſet, et præcipuè ſi non antea ejus aggreſſu laborâſſet, huncce morbum

ritè

ritè ſuſpectum habeamus. Tale autem judicium fallax omninò ſit; ideoque morbi progreſſum maximâ curâ obſervare oportet.

Tres tantùm ni fallor morbi ſunt, Variola nempe, Scarlatina, et Catarrhus, quos inter et rubeolam, tanta obtinet ſimilitudo, ut alius pro alio exiſtimari poſſit.

A variola ſatis diſtinguitur ſymptomatis catarrhalibus, et eruptionis tempore et duratione. In rubeola ſcilicet efflorefcentia quartum antequam morbi diem non ſeſe prodit; in variola autem tertio die conſpicitur. Præterea poſt tres dies illa in ſquamis furfuraceis diſcedit; hæc autem in puſtulàs elevatur, quæin ſuppurationem abeunt, et tandem octo poſt dies, in cruſtis nigris duriſque corpore decidunt.

Scarlatina plerumque faucium inflammatione et ulceratione ſtipatur; ſed tuſſis et gravedinis ſymptomata quæ rubeolam comitantur, in hoc morbo deſunt. Quinetiam in Scarlatina, effloreſcentiæ rubor magis vividus eſt, et maculæ non adeò diſcretæ ac in rubeola obſervantur.

Rubeolam

Rubeolam denique inter et catarrhum difcrimen facilè liquet, à febris violentia, naufea, et vomitu et efflorefcentiâ priorem comitante.

CAUSÆ.

Rubeolæ caufa prædifponens, à quadam corporis conditione, omnibus ferè communi et ipfius fabricâ fortaffe congenitâ, originem trahere videtur. Quæ fit ea conditio, medicis non adhuc cognofcere licet; quamvis autem natura ejus latet, vis eft notiffima. In juventute et infantia, majore vi, quam in ætate virili aut fenectute, pollere videtur; fuprà enim notatum erat, infantes et adolefcentes, morbo multò magis obnoxios reperiri, quam adultos aut fenes. Maximè autem obfervatu dignum eft, eos morbum femel paffos, fine metu iterum iterumque rubeolæ contagioni fefe objicere, et nifi in pauciffimis quidem exemplis, prorfus immunes evadere. Hinc quodammodo videatur, morbum in ejus decurfu, corporis prædifpofitionem penitùs delere; mutan-

do fortaſſe eum fabricæ ſtatum, qui proclivitatem prius effecerat.

Cauſa excitans, eſt contagio ſpecifica adeò ſubtilis, ut ſenſuum acumen omninò fugiat, et effectibus ſolis innoteſcat. Utrum hæc per inhalationem cuticularem in corpus tranſit, vel per inſpirationem in pulmones recipitur, aut in ſtomachum cum alimento deglutitur, non apud medicos convenit; veriſimile autem videtur, per omnes haſce vias, introitum patere. Vaſa enim lymphatica plurima et à cute et à pulmonibus et primis viis oriuntur, quæ contagionem abſorbere poſſint; à ſymptomatis attamen catarrhalibus, morbum nunquam non comitantibus, medici quidam, per inſpirationem præcipuè inhauriri, rati ſunt.

Quo modo contagio aliqua in corpore humano agat, admodum obſcurum eſt, nec multò melius in hoc, quam in aliis exemplis intelligitur. Symptomatis nihilominus morbi perpenſis, forſan conjicere liceat, rubeolæ contagium ſtimulo quodam proprio, pyrexiam concitare: quibus autem viribus efflorefcentia, aliaque morbi ſigna

ſpeccifia

ſpecifica efficiuntur, adhuc in tenebris latet. Haud equidem ignarus ſum, theorias quaſdam ſpecioſas de hac re in lucem prodiiſſe; talis eſt ea fermentationis analogiâ deprompta. Huic autem æque ac omnibus quas adhuc audivi, multa ſint objicienda. Experientiâ enim conſtat fermentationem in fluidis agitationi ſubjectis vix aut ne vix quidem oriri. Quomodò igitur in ſanguine, per vaſa innumera rapidè ſemper movente, accidere poſſit? Singulum præterea fluidum in fermentationis proceſſu, mutationes inſignes patitur, et indoles omninò novas acquirit; ſanguis autem ægro rubeolâ occupato detractus, nullas ſubiiſſe mutationes apparet, præter quòd ſuperficiem coriaceam oſtendit, ut in pleriſque morbis inflammatoriis accidere ſolet. Hæc ex multis oſtendunt, fundamento quam caduco et fallaci, hæc nititur theoria. Sternere autem multo faciliùs eſt quam ædificare; nec de re tàm obſcura, ullam ex me ipſo rationem reddere auſim. Mihi equidem videatur, nullam explicationem veriſimilem dari poſſe, dum prædiſpoſitionis cauſa, et contagium ipſum ſenſus inveſtigationem æque effugiant. For-

ſan

ſan autem non longè abſit tempus, quando chemia, ſcientia nobiliſſima, lucis vividæ tam nuper accenſæ radium, per tenebras has res obvolventes, diffundat.

PROGNOSIS.

Hiſtoriâ rubeolæ ſuprà traditâ videtur, duas præcipuas eſſe morbi ſpecies, inflammatoriam ſcilicet et putridam. In ſingula earum, ſymptomata ægri diſcrimen aut ſalutem indicantia, haud parùm inter ſe diſcrepant; quare de prognoſi ſeorſim dicere oportet.

In rubeolâ inflammatoriâ, periculum præcipuè metuendum eſt, à febris vi, et à ſymptomatis pulmones affectos denotantibus; hinc adulti vel plethorici, in majore ſemper diſcrimine verſantur, quam infantes aut pueri non tali robore gaudentes. In quolibet autem vitæ tempore, febris vehemens, tuſſi aſſiduâ et ſpirandi difficultate ſtipata, morbum periculoſum denotant. Erumpente efflorefcentiâ, ſi hæc ſymptomata levantur, eventum felicem ſperare liceat; ſed ſi adhuc ſuperſint, vel

efflorescentiâ

efflorefcentiâ difcedente ingravefcant, pneumonia maximè metuenda fit. Efflorefcentia citiùs aut feriùs debito morbi tempore erumpens, ferè fufpecta habetur, ut et etiam papulæ nimis rubidæ aut livefcentes, vel nimis citò pallefcentes; retropulsâ autem eruptione, fi delirium vel pneumonia fuperveniat, æger in angufto femper effe exiftimetur. Sudores profufi non bene portendere obfervantur. Diarrhœa immodica cum tuffi frequenti et magna anxietate, mali ominis figna funt. E contrario autem diarrhœa lenis, cum facili fputorum per tuffim excreatione, et refpiratione plenâ liberâque, efflorefcentiam difcedentem comitantibus, convalefcentiam citam et jucundam ægro promittunt. A tuflicula et raucedine vel dyfpnœa poft morbi difceffum manentibus, haud rarò phthifis pulmonalis originem trahit; in iis præcipuè, qui à labe hæreditaria in eum morbum proclives fint, vel qui pulmonum morbis prioribus laboràffent.

In rubeola putrida, fymptomata à debilitate vel putredine orientia, præcipuè metuenda funt; et hæc enumerare tantùm fufficiat; diarrhœa fcilicet immodica

modica, dyſpnœa, delirium debilitate et oppreſſione inſigni ſtipatum; et pro peſſimo ſemper habeantur ulcera vel gangræna, aliquas corporis partes, occupantia. Eruptione autem factâ, ſi levis per cutem tranſpiratio, cum anxietatis, tuſſis, et dyſpnœæ levatione, atque roboris incremento, ſupervenerit, admonente Doctore Watſon, res adhuc felices expectare liceat.

RATIO MEDENDI.

Rubeola oriens à contagione ſpecificâ intrà corpus receptâ, certum decurſum ſequitur, et uniuſmodi plerumque ſymptomatis ad certam terminationem brevi vergentibus, ſtipatur. Non igitur penes medicos eſt, morbum ullis remediis eradicare; illos tantùm oportet veſtigia ejus obſervare, ultra modum citata reprimere, vel devia, aut in ſemitas periculoſas ducentia, revocare. Quamobrem ſi linguâ ſtrictiùs utamur, nulla indicatio curatoria in hoc morbo obtinet; ſed

præſervativa

præſervativa et palliativa tantùm, prior ad morbi eventus reſpiciens, poſterior ad ſymptomatum graviorum levamen. His reſpondere indicationibus, methodus omninò diverſa, et morbi ſpeciei, ſeu inflammatoriæ ſeu putridæ accommodata, medico adhibenda eſt.

In rubeola communi eventus infelices à ſignis inflammatoriis ſemper originem trahunt; his igitur imprimis occurrere oportet. Irritatio omnigena igitur ſedulò eſt evitanda; et omnium ferè præcipuus, enumerandus eſt calor externus auctus; nulla enim cauſa, cor et vaſa ſanguifera magis excitare obſervatur. Aëris autem, in aegri cubiculo, temperiem ſemper moderatam ſervare oportet; à frigidiore enim Jove, non minus fortaſſe metuendum eſt, quam à calidiore, quippe qui ſigna catarrhalia quam maximè augeret, vel etiam efflorefcentiam introrſum repelleret. Alimenta tantùm leviſſima, è vegetabilibus farinaceis vel frugibus ſcilicet confecta, ægro præberi debent; ſitienti liberè ſuppleatur potus aquoſus tepidulus.

Tali

Tali regimine, fymptomata febrilia aliquantò femper coerceantur; fæpe autem remediorum efficaciorum opus eft. Quando enim morbus, pulfu valido et duro, aliifque fynochæ vehementis fignis ftipatur, vel fymptomata catarrhalia magnoperè urgent, ad remedia inflammationi, et generali et topicæ ocurrere idonea, confugiendum eft. Longè inter hæc eminet fanguinis detractio. Hocce autem remedium, medicis quibufdam in primo ftadio non adeò neceffarium effe videtur, ac in morbi progreffu; quando fcilicet, eruptione perfectâ vel etiam difcedente, pulmonum inflammatio magis ferè metuenda fit. Huic opinioni favet illuftris Cullen; quamvis fanguinis miffione nullo morbi tempore, fignis gravioribus monentibus, abftineret. En fua verba; "This "remedy may be employed at any time in the "courfe of the difeafe, or after the ordinary "courfe of it is finifhed. It is to be employed "more or lefs, according to the urgency of the "fymptoms of fever, cough, and dyfpnoea; and "generally may be employed very freely. But, "as the fymptoms of pneumonic inflammation

"feldom

" feldom come on during the eruptive fever, and
" as this is fometimes violent immediately before
" the eruption, though a fufficiently mild difeafe
" be to follow, bleeding is feldom very neceffary
" during the eruptive fever; and may often be
" referved for the times of greater danger, which
" are perhaps to follow." Lucidis his præceptis de fanguinis miffione, omninò confentirem. Præter autem evacuationem hanc generalem, urgentibus fymptomatis topicis, abftrahatur etiam fanguis, hirudinibus vel fcarificatione, partibus affectis. Sed hoc remedium, epifpafticorum applicationi plerumque cedat. Horum vires ad inflammationem topicam occurrendam, omnibus fatis innotefcunt; quare fupervacaneum foret de illis multa verba facere. Hîc obfervare fatis fit, eorum ufum, minitantibus fymptomatis pectoralibus, nunquam omittendum effe, et veficatoria fatis ampla quam proximè partibus affectis applicari debent.

Cathartica, inter remedia inflammationis femper enumerantur; et hæc medicamina, procul dubio, vi haud parvâ vafa fanguifera deplendi, gaudent. Talium autem remediorum ufus in morbis febrilibus, gravibus incommodis femper obnoxius eft. Ægri vires multùm fæpe convellunt, et irritationem infignem corpori præbent; nec penes medicum eft, copiam humoris per catharfin evacuandam, regere. Ob has caufas igitur purgantium ufum in rubeola non equidem fuaderemus, quoniam remedio tutiore et etiam efficaciore, ad diathefin phlogifticam minuendam, in venæfectione fruimur. Alvum attamen folutam, femper teneri oportet; obftipatio enim, utpote irritationis caufa, fedulò eft evitanda. Hoc confilio, fales neutri, fenna, manna, aliaque cathartica mitiora adhibeantur, vel enemata emollientia, pro re nata injicienda funt.

Diaphoretica auctoribus aliquibus in rubeola laudantur. Hæc autem nifi leniora, calor auctus inter operationem femper comitatur; ferè igitur eorum

eorum ufus incertus eft. Et hoc de balneis et fomentis tepidis, quæ fuos habent etiam laudatores, plerumque verum eft. Attamen fi quando efflorefcentia retropulfa fuerit, hæc remedia, cautè adhibita, profint; et tali cafu purgantia etiam commendata funt.

His auxiliis indicationi primæ refpondemus; nunc de fecunda fymptomatum levamen complectente, dicendum eft. Inter fymptomata graviora, tuffis meritò certè, primum fibi vindicat locum. Quemadmodum hæc à diathefi phlogiftica pulmones afficiente pendeat, remediis fuprà notatis tantùm, venæfectione nempe et veficatoriis, levari poteft. Sæpe autem faucium irritatione, à muci acris fecretione nimis copiofa oriente, tuffis maximè augetur. Hæ partes, demulcentibus oleofis vel mucilaginofis, tali irritatione quodammodo defendantur; fed, ubi figna inflammatoria eorum ufum non prohibent, anodyna, remedia longè optima reperiuntur. Oculorum dolor per collyria mitiora aliquantò fedatur; et propter

lucis

lucis intolerantiam et cephalalgiam, in cubiculo obſcuro, et à ſtrepitu omni remoto, ægrum decumbere oportet.

Diarrhœam modicam morbi progreſſu ſupervenientem, ſymptomatum febrilium levamen plerumque ſequitur. Sed alvi fluxus nimis profuſus, ægri vires proſternat; tunc remediis abſorbentibus, aſtringentibus, vel anodynis, ſicut res poſtulent, compeſcatur. Diarrhœa autem, poſt morbi diſceſſum ſuperveniens, teſte Sydenhamio, ſanguinis detractione optimè curatur.

Tanta de rubeolæ inflammatoriæ curatione; nunc de ſpecie putrida pauca adjicere reſtat. Hîc debilitatis et putredinis ſigna medici curam vindicant. Omnia remedia infirmantia, et præcipuè ſanguinis detractio, cautè ſi omnino adhibenda ſunt. Quamvis enim ſymptomata pectoralia, talia auxilia poſtulare videantur; attamen pulſus debilis et virium proſtratio, eorum uſum adhuc validiùs prohibent. Medici potiùs ſit cura, ægrum tonicis et ſtimu-

lantibus

lantibus ſuſtinere, et ſymptomatis pectoralibus remediis topicis, ſanguinis detractione topica et epiſpaſticis ſcilicet occurere. Tuſſis et etiam diarrhœa remediis ſimilibus ac in ſpecie inflammatoria leventur. Gangrænæ optimè occurrunt vinum et cortex Peruvianus. Morbo denique finito, ægri vires diæta nutrienti et remediis tonicis refocillentur.

FINIS.

C. STEWART ET SOCII,
Academiæ Typographi.